armati. Othus autem septem in scuto serta gestabat insculpta, quia septem fortissimos pugnatores unica gladii fulminatione prostraverat; Volux vero aliter armabatur, nam ex ejus cono vipera aenea surgebat, miris involuta atque implicata spiris, quae infantem exornatum ad usque costas devorasset, humeri autem et brachia exstabant, et bipatenti ore paene vociferare videbatur. His itaque insignibus ambo in campum processerunt in agro fullonis ante civitatem sanctam Jerusalem, et primo quidem occursu Othus Volucem principem ex equo praecipitem dedit et statim clava elevata illi adeo cerebrum confregit, ut per solum universum spargeretur. Quo mortuo Othus illi galeam exuit et ejus universa spolia secum tulit sicque obsidione soluta in Europam remeavit propter sui exercitus exiguitatem; cumque Mediolanum venisset, insigne illud Christo et templo obtulit atque sibi successoribusque suis eam viperam pro insigni portandam perpetuo transmisit, quam usque in hodiernum diem Mediolanenses duces et reliqui Vicecomites gestare cernuntur, suamque monetam imagine viperae signant, quae moneta usualis et cara hodie per Alemanniam dispersa reipublicae plurimum utilis habetur, nominantque grossiones, plaphardos antiquos, minores spagurlinas, medias vero trigeras.

Reversus igitur praefatus Dux Othus summo pontifici et universis occidentis principibus intimavit, Jerosolymam et terram sanctam capi non posse, nisi immani et grandi ac robustissimo exercitu transmisso.

Deinde anno 1063 collectus est magnus exercitus Theutonicorum ad peregrinandum in terram sanctam ad dominicum sepulchrum. Nam archiepiscopus Moguntinus Sifridus et episcopus Trevirensis Wilhelmus et episcopus Babenbergensis Guntherus et Otho episcopus Ratisponensis cum multis nobilibus et comitatu terresti itinere usque Jerusalem properarunt, Pontum Euxinum transire volentes; cumque venissent in Bulgariam, valde fuerunt vexati ab illis aquilonaribus gentibus et cum multis anxietatibus usque in Asiam provecti Syriam finitimam attigerunt. Comperto autem provinciae praeside adventu Christianorum collectis copiis Turcorum contra episcopos nostros venerunt. Multitudine autem nostri arctati

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;